

P I S A

1 6 0 8





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*



INDEX

Disputationum ac Carminum Volumi.  
hoc continens.

- I. Exercitior Ethica M. Uelstemii. XIV. De Apoplexia D. Parouii.
- II. Centuria Quaestionum Ethicarum M. Stravichii. XV. De Affectibus M. Harckhoff.
- III. ~~Disputationes~~ <sup>Quaestiones</sup> ~~Disputationum~~ <sup>Uostrorum</sup> M. Aschardt dora. XVI. De Phrenitide D. Siggfried.
- IV. Disputatio ~~etica~~ <sup>etica</sup> M. Martini. XVII. De Barbyenio M. Beckmann.
- V. Decem Quaestionum Metaphysicarum M. Stravichii. XVIII. De Resurrectione Christi Bechtii.
- VI. Disputatio de Emendationibus dora M. Gifemii. XIX. Gratiarum Actio ad D. m. pro Clitoria de Turrisubita Gambara.
- VII. Disputatio quaestionum aliquot exeger. XX. Epithia Germaniae deplorantis Curarum in Eckam scribitam Johanni Philippi.
- VIII. ~~in continens~~ <sup>in continens</sup> M. Trimpleri. XXI. In Natallem Principis Anhaltini 1774.
- IX. Theoremata quaedam Physica M. Werenbergers. XXII. In obitum Johannis Truesch M. Kersch.
- X. Emendationes Quaestionum Physicarum M. Stravichii. XXIII. Uota Nuptialia P. Uerrew.
- XI. Theses de Sexu M. Fleisseri. XXIV. In Nuptias M. Schroeteri.
- XII. De Terra Motu M. Stravichii. XXV. Nuptias Johannis Forwickelip.
- XIII. De sensibus Interioribus Cramerii. XXVI. D. Wolfgangi Anlingi.
- XIV. De sensibus Exterioribus Cramerii. XXVII. Johannis Besm.
- XV. XXVIII. M. Danielis Alonchmeieri.
- XVI. XXIX. Jacobi Gregorii Praetori.
- XVII. XXX. Andrea Orlandii.
- XVIII. XXXI. D. Wolfgangi Anlingi.

v.



- xxxii. M. Neystem:  
xxxiii. Danclic Albertij:  
xxxiiii. D. Petri Rossey.  
xxxv. D. Martin Lopyen.  
xxxvi. Gratulatoria in honorem  
Magisterij Benedicti Krummarmij.  
xxxvii. Mambur Lappolch.  
xxxviii. Mambur Justi Liffi.



XI.

II

AUSPICIIS SACROSANCTÆ  
ET INDIVIDUÆ TRINI-  
TATIS,

Disputatio Physica

*De*

TERRÆ MOTU.

ex 2. Meteor. cap. 7 & 8.

*Cujus positiones*

In inclyta VVitebergensi Academia,

P R Æ S I D E

M. ÆGIDIO STRAUCHIO,

Facultatis Philosophicæ adjuncto,

*publicè tuebitur*

CHRISTOPHORUS SCHNEIDERUS

Bitterfeldensis, Alumn. Elect. 3 9

*Ad diem 27. Febr. in Auditorio minori,  
horis matutinis.*

VVITTEBERGÆ

Typis Cratonianis per Johan. Gorman.

Anno M. DC. VIII.







Clarissimo atq; excellen-  
tissimo VIRO,  
Dn. M. ERASMO SCHMID,  
Græcæ linguæ Professori publico, fidelissi-  
mo, dignissimo, Collegij Philosophici  
Decano spectatissimo,

NEC NON  
*Amplissimis, prudentia, eruditione, judicij de-  
xteritate, omniumque virtutum genere præstantissimis Viris,*

Dn. CONSULIBUS, IUDICI-  
BUS, AC RELIQUIS INCLYTÆ REI-  
pub. Bitterfeldensium Senato-  
ribus meritissimis:

*Dominis, Præceptori, Mæcenatibus, ac Pro-  
motoribus meis magnis æternumque colendis,*

Hanc *ἐπέτατον* Physicam  
Gratitudinis & observantia ergo

Inscribo,

ac

Offero

Christophorus Schneiderus

*Respondens.*





# D. O. M. A.

## THESIS PRIMA.

**T**erra, commune quippe omnium corporum naturalium domicilium, divinitus ita firmata ac fundata legitur, ut tanquam basis & centrum totius universi in medio firma fixa; consistat, neque ex se unquam commoveatur. *Psal. 104. § 5. 93, § 2. Eccles. 1, § 5.* Moveri tamen eandem & historici fide digni & nupera superiorum annorum experientia satis superq; comprobant. Opus ergo divinæ omnipotentiae stupendum jure optimo ijs annumerandū terribilibus, quæ ὑπερ ἀνθρώπων sunt, ac fortissimum quemq; in sui admirationem rapiunt. *3. Eth. 7.*

### II.

Imo non tantum in admirationem sui, quæ primus ad scientiam causarumq; cognitionem aditus est, *1. Met. 1.* rapit, sed etiam, ut corpora nostra vehementer concutit ita animos non minus perterrefacit, ac ad latentis causæ cognitionem excitat & impellit. Quod ergo Deus Optimus Maximus auspiciō fieri velit, naturam & causas Terræmotus ex *Philosopho 2. Meteor. 7 & 8. Seneca lib. 6. nat. quest. cap. 4. & seq. Plinio lib. 2. nat. hist. cap. 79. & seq.* alijsq; probatis autoribus altius repetitas veritatis & sciendi desiderio sub placidam revocabimus *διό- σκεψιν.*

### III.

Ante omnia *ἱερωτάτοις* nostræ eximentes miraculosos terræmotus, quorum causa in natura manifesta dari non potest, quiq; divinæ potius virtutis & omnipotentiae rarò clementiæ, ut plurimum iræ signa quam naturæ opera fuerunt, qualis contigit *1.* In exitu Israelitarum ex Ægypto imprimis in monte Sinai circa promulgationem Decalogi, ubi à facie Domini moti montes exultabant ut arietes &

A 2

col-



colles sicut agni ovium, *Psal. 114, § 6. Exod. 19, § 18. Psal. 68, § 9.* 2. In deserto quo poenas dabant seditiosi Chora, Dathan & Abiram, *Num. 16, § 32, 26, § 10.*

IV.

3. Christo pendente in cruce *Matth. 27, § 5* quem perperam confundit *Tholosan tom. alt. syntax. lib. 35. cap. 34.* cum eo, quem *Cornelius Tacitus in calce lib. 2.* gravissimum, *Plinius lib. 2. cap. 84.* maximum memoria mortalium indigitat, quoq; *12,* vel uti *Nicephorus lib. 1. cap. 17.* mavult *14* Asiae urbes celebres collapsae sunt plurimiq; hominum diductis terris hausti. Uterq; contigit sub principatu Tiberij Christo in terris adhuc versante, sed ille in annum Christi *34* Tiberij *18* hic in annum Christi *19,* Tiberij *3* incidit, uti quidem vult *Osiander, ille diurnus hic nocturnus ille universalis hic particularis fuit. Osiander cent. 1. lib. 1. cap. 6.*

V.

4. Christo redivivo, quo lapide ab ostio sepulchri devoluto mulieribus illud introeundi potestas concedebatur *Matth. 28, § 2.*  
5. Philippis Paulo & Sila in carcerem conjectis, quo fundamenta carceris commovebantur, vinculaq; in pedibus Apostolorum solvebantur *Act. 16, § 26.*

VI.

6. Hierosolymis, quo & templum Hierosolymitanum, jussu & sumptibus Iuliani Apostatae in odium & contumeliam Christianorum denuò reaedificari coeptum funditis eversum, & Iudaeorum plurimi in aedibus templo contiguis operis causa commorantes, oppressi, ex ipsa terra globus quidam ignis profiliit, qui per medium plateae discurrens obvios quosve adussit, & miserrimè interfecit, ac ne forte talia casu evenisse putarentur, insequenti nocte vestimentis, dolabrīs, securibus, reliquisque operariorum instrumentis signum crucis prorsus indelebile impressum fuit, *Ruffinus lib. 1. cap. 38 39. Theodor, lib. 3. cap. 2. Hist. trip. lib. 6. cap. 43.*

VII.

Hiscē ergo & similibus terrae agitationibus, quae, quia solius omnipotentiae divinae opera sunt, considerandae quidem semper sunt per studium, nunquam verò discutiendae per intellectum, uti loquitur alicubi Gregorius altiori contemplationi relictis hac vice in eam

um



rum solum quæ ex naturalibus pendent principijs, & à spiritu è cæ-  
vernīs terræ propter exitum denegatum summa vi prorumpente fi-  
unt. causas inquiremus, ubi quanta sese offerat opinionum varietas,  
videre est apud *Arist lib. 2. Meteor. cap. 7. Senecam lib. 6. natural. hist. à cap. 4.*  
*Plutarchum lib. 3. de placitis cap. 15. Mirandulam lib. 1. de exam. vanit. cap. 12.*

VIII.

Nam Thales Milesius terram arbitratus aquis undiq; innatare  
ac tremere, dum vento modo huc, modo illuc, agitur, perinde, ut  
navigium aquis concreditum procellis hinc inde jactatur. Verum  
enimverò quid absurdius, quam terram singula elementa gravitate  
sua superantem totius mundi centrum locum certum ac fixum non  
habere, sed aquis innatantem hinc inde agitari? annon toties, quo-  
ties tempestas aliqua in oceano oborta tota tremeret terra? Magnus  
hoc avertat Deus.

IX.

Democritus putavit terram aquis undiq; repletam, dum plures  
vel ex pluvijs vel aliunde collectas imbibere conatur præ nimia satie-  
tate ceu disrumpi, sicq; moveri: Sed nulla certè apparet ratio ob quam  
aquæ pluviali tanta assignari debeat vehementia ut terram solidissimam  
tantis motibus conquassare possit, inprimis cum videamus terram  
fluctibus Oceani, quorum longe major vis quam aquarum pluvia-  
lium conquassatam, ne semel quidem nutare: Imò admissa hac opi-  
nionem Democriti sequeretur scaturigines fontium & fluminum sem-  
per concuti, cui tamen experientia contrariatur,

X.

Anaxagoras infra hanc nostram, quam pedibus quotidie teri-  
mus aliam commentus est terram, nostra longe rariorem, aereque  
undiq; repletam qui dum superiorem locum vi levitatis suæ petit,  
nostram vero imbribus inspissatam ac condensatam transire non po-  
test eandem vi summa concutiat sicq; tremere faciat. Verum præter-  
quam quod ex hac opinione nulla sufficiens ratio dari possit, cur  
potius hæc pars terræ tremat præ illa, etiam universæ naturæ terræ in-  
fimum locum inter singula elementa, & figuram non planam sed ro-  
tundam assignanti repugnat.

XI.

Missis ergo hisce opinionum monstris primariam terræ mo-

A 3

tus



tus causam dicimus DEVM Optimum Maximum, quo hominum peccatis ad justissimam commoto iram terra tremit ac commovetur de loco suo, ut columnæ ejus concutiantur, fundamenta montium conturbantur, montes tanguntur & fumigant, colles devastantur, contremiscit orbis & omnes habitantes in eo *Psal. 76. § 8, 104. § 32, 18. § 8, 2. Reg. 22. Job. 9. § 6. Nahum 1. § 5.*

XII.

Secundariam sed remotam dicimus corpora cœlestia tres superiores Planetas, Saturnum, Jovem & Martem, quorum infestus aspectus præcipuam fumos excitandi vim habere ab Astrologis creditur referente *Plinio lib. 2. cap. 79.* inprimis verò Solem cujus radij in terram incidentes & ignibus subterraneis conjuncti è terra imbris madefacta plurimos excitant halitus per inde ut videmus in nostris corporibus calorem in humidum agentem vaporibus singula replere, aut ex aqua igni apposita semper tenuiores partes exhalare.

XIII.

Terræmotuum generationem multum etiam promovet defectus Lunæ quem Terræmotus proximè præcedit ita quidè, ut si motus terræ contingat circa initium noctis ecclipsis incidat in mediam noctem & si motus terræ incidat in auroram, luna deliquium patiatur media nocte. Cum enim interpositio terræ jam instat lumen, & cum lumine etiam calor communicatus Lunæ à Sole paulatim marcescere incipit & propter umbram terræ ex aere detrahitur, quo detracto halitibus è terra assurgentibus via intercluditur, qui intra terram coacti eandem summa vi concutiunt. *Arist. lib. 2. Meteor. cap. 8. Plinius lib. 2. cap. 80.*

XIV.

Causam efficientem proximam dicimus spiritum vel ventum seu, uti *lib. de mundo cap. 4.* habetur, aerem multum fluctuantem & coactum visceribus terræ inclusum, qui cum sua natura sursum tendat, neq; tamen rimam elabendi inveniat hinc inde discurrit exitum quærens hocq; denegato tandem claustris terræ summa vi effractis eam concutit.

XV.

Exhalatio *ἀναθυμίασις* omnium meteororum causa duplex constituitur à Philosopho 1. *Meteor 4.* una tenuior, calida & sicca, ex terris

ris



ris potissimum locisq; arenis vi siderum ad ignis locum usq; e-  
ducta, quæ cum proprio nomine careat aliquando generis nomine  
simpliciter dicitur ἀναθυμίασις, aliquando cum adjectione ἀναθυμίασις  
καπνώδης καὶ μᾶλλον πνευματώδης, altera ἀτμὶς crassior calida &  
humida ex aquis potissimum aqueisve corporibus excitata.

#### XVI.

Ad neutram harum simpliciter spiritus hic subterraneus, terræ-  
motus causa, referrî potest, sed potius mixtura est utriusq; : si enim ni-  
mis tenuis statim per poros terræ expiraret, si nimis crassus in inferi-  
oribus terræ partibus subsideret, ibiq; in guttas resolveretur. Plus ta-  
men in se continet ἀναθυμίασις quam ἀτμὶς. Requiritur siquidem  
calidus & ex parte etiam siccus ut naturali terræ frigiditati & alienæ  
humiditati reluctari possit. Requiritur etiam levis, ut contra natu-  
ram infra terram contentus majori cum violentia superiorem locum  
petat. Requiritur tandem multus, ut vastissimam terræ molem con-  
cutere possit.

#### XVII.

Sed unde tanta spirituum copia in terra, quæ siccissima? Quam-  
vis terra in se sit siccissima imbribus tamen & aquis eam undiq; allu-  
entibus plurimum humectatur. Terra humectata calefit radijs So-  
laribus ignibus subterraneis & hyberno tempore per ἀναθυμίασις ca-  
lore terræ interno ad interiora sese recipiente. In humidum dum  
calor agit semper aliquid expirat. Hinc multus spiritus extra, multus  
etiam intra terram gignitur, qui interdum totus continenter foras  
prorumpit, unde venti fiunt interdum si poris terræ obstructis nul-  
los, per quos exeat, meatus inveniatur, totus intra fluit, unde terræ mo-  
tus interdum dividitur ut pars intra pars extra procurrat, unde par-  
tim venti partim terræ motus oriuntur 2. Meteor 8.

#### XVIII.

Copiam hanc spirituum terræ inclusorum plurimum augent  
venti superne terram subeuntes, qui licet soli terram non concuti-  
ant, neq; etiam in intimas terræ partes se recipiant, uti recte negat  
Albertus in reparationibus suis in 3. meteor. spiritum tamen terræ vilce-  
ribus inclusum confortat ac augent dum poris terræ clausis calorem  
spirituum comprimunt & ad interiora cogunt, qui in sese coactus ceu  
furibundus plures eosq; fortiores spiritus producit sicq; vehemen-  
tiam terræ motus adjuvat.

Est



XIX.

Esse autem hunc spiritum visceribus terræ inclusum primari-  
am motus terræ causam Aristotel: hoc ostendit discursu: Quodcumq;  
maximam vim movendi corpora habet, illud si intra terram coar-  
ctetur, eandem concutit, quia tam vasta terræ moles non nisi à vehe-  
mentissimo corpore moveri potest. Atqui spiritus & intra terram  
coarctatur & maximam vim movendi corpora habet. Erit ergo  
spiritus terræ motus causa.

XX.

Assumptionis membrum utrumq; manifestum. Prius: Est e-  
nim spiritus natura sua levis, Petit ergo locum superiorem: Terra  
est corpus solidum spiritum igitur egredi non patitur. Quare hic  
contra naturam summa vi ac violentia intra cavernas terræ coar-  
ctatur.

XXI.

Posterius; spiritus est subtilissimus omnesq; partes pertransire  
potest. Cuncta quod transit, longissimè & celerrimè fertur. Ce-  
lerrime quod fertur vehementissimum est: Percutit enim propter  
celeritatem. Vehementissimum quod est maximam vim moven-  
di corpora obtinet. Concludimus proinde spiritum *κίνητικώτατον  
τῶν σωμάτων.*

XXII.

Neq; mirum: Intuere quæso spiritum oris nostri, qui  
*Tendere vesicam solet, aut direpta bicornis  
Terga capri, Ovid. 15. Metamorph. fab. 14.*  
Ingredere culinam & vide quanto cum sonitu spiritus ex ovo  
prunis imposito prorumpat: Attende corpora nostra in quibus

*— quoties in pectore sistit*

*Spiritus ac tenuem neq; dat, neq; suscipit auram*

*Tum velut intercepta anima tremor occupat artus*

*Pugna intus, micat extremis in partibus horror*

Pontanus de meteoris cap. 31.

XXIII.

Observe effectus ventorum supra terram, qui si concitiores  
saxa ingentia de loco in locum volvunt, arbores sylvasq; convellunt  
ædificia & turres maximas nonnunquam dejiciunt. Visita ægrotum  
videbis



videbis phrenesi laborantem spirituum, qui animalum vitaliumque operationum instrumenta sunt incitatione vincula frangere eaq; nonnunquam præstare, quæ à multis benevolentibus ac robustis fieri haud possunt. Quidni ergo & spiritus isq; multus terræ visceribus inclusus ac propter exitum denegatum in sese coactus eandem concutere posset?

#### XXIV.

Evincit hoc ipsum, quæ terræmotum ut plurimum præcedere solet, aëris tranquillitas, nonnunquam etiam tanta, ut propter spiritum, qui vehere debebat subtractum volatus avium non penderent, quia exhalatio quæ ventorum generationi materiam suppeditare debebat tota intra terram, quam concutit continue moveretur.

#### XXV.

Excipis terram interdum tremere flantibus ventis! *ἔθεν ἄλογον*  
Plures enim simul generantur exhalationes, quarum aliqua terræ incluse eandem concutiunt, aliqua terræ egressæ aërē agitat, sicq; & terræmotus & ventus simul fieri potest. Sunt tamen hi terræmotus minores ijs, qui cælo tranquillo accidunt, quia in his spirituum vis conjuncta in illis vero divisa est, & verò virtus unita semper fortior est seipsa dispersa.

#### XXVI.

Subjectum Terræmotus est Terra non quidem tota, nisi forte in miraculosis terræmotibus, sed certa ejus pars, modo major, modo minor, pro spirituum diversitate: tum quia spiritus tam validus, ut universam terræ molem simul concutere possit, non datur, tum quia non verisimile spiritum ad centrum terræ usque penetrare posse, tum tandem, quia non omnia terræ loca ad motum æquè apta.

#### XXVII.

Sunt verò terræmotui vel maximè obnoxia loca 1. maritima quæ fluctibus marinis continue alluuntur, quia propter humoris copiam plurimi in hisce generantur halitus, qui dum egredi luctantur à fluctibus marinis repelluntur, atq; ita rursus in viscera terræ coguntur, in quibus aucti summa vehementia prorumpunt terramq; concutiunt 2. concava & spongiosa, quia in hisce plures exhalationes recipi possunt & semel receptæ propter aliam exhalationem obviantem egredi nequeunt 3. montosa quia in his plures specus & con-  
cavitates.

B

Minus





## XXVIII.

Minus obnoxia affectioni huic sunt 1. loca Septentrionalia, in quibus ob intensius frigus exhalationes rariores 2. Calidiora, quia in his exhalationes à radijs Solaribus statim dissolvuntur. 3. Arenosa è quibus ob porositate spiritus statim efflant 4. Duriora, quia soliditate sua violentiæ spiritus resistunt 5. Limosa quia receptaculis carent unde Ægyptus, ab aliquibus mali hujus expertis olim putabatur, quod tamen negat *Seneca lib. 6. Nat. quest. cap. 26.* 6. Insulæ marinæ à terra remotiores, quia mare insulas illas circumdans exhalationum generationem & motum frigiditate ac gravitate sua prohibet, *Arist. 2. Meteor. cap. 8.*

## XXIX.

Forma Terræmotus est ipsa concussio & agitatio terræ quæ non unius modi: Interdū siquidem terra tremit solum ac modo dextrorsum modo sinistrorsum modo antrorsum modo retrorsum agitatur: Nonnunquā terra ingenti hiatu dehiscit, ut profunda appareat vorago & spiritus summa erumpens violentia integra ædificia deglutiat. Aliquando spiritus ex diversis locis seu concurrentes contrarijs ictibus terram quatunt: Nonnunquam spiritus isque satis multus in unam terræ partem maxima vi incumbit eamque subito evertit. Horum modorum primus dicitur Tremor, alter Concussio seu hiatus, tertius arteratio, quartus ruina vel inclinatio.

## XXX.

Singuli horum, quamvis periculo haud careant, omnium tamen periculosissimus est tertius, in quo spiritus in unam partem procumbens ita impellit, ut ruat & subvertatur terra. Reliqui minus sunt noxij. Tremor siquidem fit à vento distracto, qui ex diversis locis movet laxius & languidius, Concussio terram parum attollit & mox iterum deprimat. In Arteratione una exhalationis pars in alteram impulsiva ejusdem vim attenuat.

## XXXI.

Plures terræmotus species recensentur ab Aristotele lib. de mundo c. 4 quorum prima dicitur *ἐπικλίτης* intransversum ad angulos acutos terram movens, eamque non dejiciens aut prosterne, sed inclinans *Πόλις* 2. *βεβήσις*, vel *βρασμῆσις* quasi effervens seu ebulliens, quando modo sursum, modo deorsum, modo ad latera modo ad angulos rectos terra jactatur ac confringitur. 3. *χασματῆσις* quasi hians cum partibus terre



terræ confidentibus ingens appareret hiatus. 4. *πύξυς* effractor, eruptione vi facta hiatus terræ patefaciens.

XXXII.

5. *ὄκτος* impulsor, aliquid secum expellens vel fontes vel lapides vel cineres vel aliud quid aut uno obnixu subvertens omne quo impulerat. 6. *παρματίας* seu vibrator, qui ceu quassabundus & utrinq; declinans vibransq; id, quod concussit, semper erigit efficitq; terramotum tremori haud absumilem 7. *μυκητίας* mugiens sub terra mugitum edens, quibus ab aliquibus adjicitur *σφουγμωδής* constans systole & diastole cum terræ aliqua pars modo attollitur, modo deprimitur.

XXXIII.

Prænuñtiant terramotus plurima eaq; maxima mala. Testantur omnes omnium temporum historiae, terramotum semper insignes inseguras fuisse clades bellorum, seditionum, famis, pestis &c. ut hinc etiam Plinius, homo licet *ἀγνοῦν* ex ipso tamen edoctus eventu, scribat: Nunquam urbs Roma tremuit ut non futuri eventus alicujus id prænuñtium esset. Sic mortem Theodosii Magni antecessit Terramotus durans sex integros menses sic imperante Theodosio secundo maximus & vehementissimus accidit terramotus, qui multos pagos submersit, fontes exsiccavit, murum prolixum Cherronesum destruxit, arbores radicitus extirpavit, valles montibus permutavit. Hunc insequabatur famis, pestis, ferarum agrestium grassatio, incendia, plurimaq; alia gravissima mala.

XXXIV.

Testantur hoc ipsum recentiores terramotus, qui superiori- bus annis Germaniam hinc inde concusserunt qui quam horribilia secum portenderint mala in hunc usq; diem, prohi dolor, experimur. Neq; mirum: Commota siquidem est & contra tremuit terra, fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quia iratus est eis Dominus 2. Reg. 22.

XXXV.

Effecta Terramotus varia sunt, nos potioribus contenti erimus. *Primo* uamq; fragores ac mugitus edunt stupendos, quia spiritus motus terræ causæ, e cavernis angustiis in cavitatem amplam prorumpit, perinde ut amphora angustiore & amplo ventre vocem immixtam reddit in amœnam. *Aristot. sed. 27. probl. 2.*

B 2

Deinde





## XXXVI.

*Deinde* nonnunquam prorumpit ignis, propter loca sulphurea, vi exhalationis calidæ accensa, nonnunquam saxa ingentia, quia ignis perpetuo ardens mollit & dirumpit saxa, quæ vi ventorum protruduntur foras, quod in montis Vesuvij incendio factum, produnt historiae; nonnunquam aqua, quia exhalatio in profunditate existens, magna vi ejecta quicquid est aquarum simul suo impulsu foras expellit, eaq; vel calida, si ab igne subterraneo prius ceu coquatur, vel frigida, si simpliciter solum protrudatur.

## XXXVII.

*Tertio*, Flumina nonnunquam suum cursum alio transferunt, dum alveis consuetis per terræ motum obstructis subito aquarum vis aliò propellitur *Seneca lib. 6. cap. 8.* *Quarto* distantia loca nonnunquam conjunguntur & contra conjuncta interdum divelluntur. Sic refert *Plinius lib. 2. cap. 83.* duos montes inter se concurrisse crepitu maximo assultantes recedentesque, villas intermedias oppressisse, & Seneca se vidisse ædificia diductis angulis moveri iterumq; componi, quædam etiam à fabricis negligentius composita terræ motus agitatione consolidata esse, sic quondam Sicilia insula ab agro Brutio Italiæ avulsa est.

## XXXIIX.

*Quinto* integra oppida & ædificia absorbentur, cum in locum spirituum egressorum intra terræ concavitates succedunt ædificia & oppida. Sic Helice & Bura peloponnesi, urbes absorptæ sunt de quibus *Ovidius 15. Metam.*

*Si quæras Helicen & Buram Æchadias urbes,  
Invenies sub aquis & adhuc ostendere nauta  
Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.*

## XXXIX.

*Sexto* Novæ interdum insulæ emergunt, quia spiritus terræ inclusus propter nimiam terræ resistantiam dirumpere eandem nequit, quia tamen fortis est in altum eam attollit & maximo impetu extra suum locum protrudit, *Plinius lib. 2. cap. 87.* *Septimo* Eandem ob causam nonnunquam montes & colles subito enascuntur, cuius exemplum affert *Ovidius 15. Metamorph.*

## XL.

*Octavo* Aliquando ingens hiatus & vorago in terra conspicitur,  
cum



cum partes terræ superiores in cavernas terræ subito præcipitantur. Nondò interdum ex hiatu terræ patefacto spiritus prorumpit venenatus, magnæ pestis causa, quia aër diutius in cavernis terræ cohibitus ab aquis gravi caligine tectis nihilq; nisi pestiferum & nostris corporibus contrarium in se continentibus, corrumpitur, ut habet *Seneca lib. 6. cap. 27.* Videatur *Cardanus in appendice ad caput 9. de varietate rerum.*

XLI.

Tempus à motu terræ vacat nullum: Scribit siquidem *Albertus* se vidisse in Lombardia terræmotum durantem integros 40 dies cujus initium fuerit in solstitio brumali, causam ejusdem assignat hanc, quod in æstate multi vapores satis crassi per radios solares fuerint resoluti, neq; tamen extra terræ superficiem educti, qui hyeme frigore conclusis terræ poris, denuò agitabantur. Æstivo tempore in *Sophoja* aliquot oppida terræmotu cum pagis vicinis absorpta sunt, adeo quidem, ut nulla ædificiorum vestigia extiterint, Anno Christi 1564.

XLII.

Anno Christi 1509 tempore autumnali gravissimus terræmotus ad dies continuos 18 murum Constantinopolitanæ urbis, qua parte mare spectat, cum omnibus adjacentibus ædificijs disiecit, fossas rudibus replevit, arcem, in qua gazophylacium Imperatoris quinq; turribus munitissimis custodiebatur, destruxit, insignem domum, in qua *Leones* nutriebantur, solo æquavit: Anno 1345 circa tempus vernum ingenti motu terræ plæraq; ædificia publica & privata *Venetijs* corruere.

XLIII.

Rariores tamen sunt hæ terræ agitationes hyeme & æstate, crebriores autumno & vere, quia in æstate calor immodicus poris terræ apertis exhalationes omnes provocat, in hyeme frigus intensum exhalationum generationem impedit. At in vere & autumno & maxima generatur spirituum copia, & calor solis neq; admodum vehemens neq; nimis remissus est.

XLIV.

Contingunt item plures terræmotus noctu quam interdiu, plurimi circa auroram *Avnegisioris* siquidem frigoris nocturni spiritus in angustum cogit, qui intra se coarctati, nimiumq; calefacti, accedente



dente sole dilatantur, majusq; postulant spacium. Quod si inter-  
diu nonnunquam terræmotus contingat, quod tamen rarius fit, con-  
tingit in meridie, quia aer tunc tranquillior, & radij solares maxi-  
mam vim excitandi vapores in terræ sinu collectos obtinent, qui ex-  
citati locum à natura sibi debitum postulant, hocq; denegato summa  
ma vi ac violentia prorumpentes universam terram concutiunt.

XLV.

Duratio, terræmotus non est uniusmodi, sed pro varietate spiri-  
tuum varia: Nam quò spiritus movens minor & calidior, terræq;  
superficies rarior, eò brevius, quò spiritus copiosior & frigidior ter-  
raq; cōpactior eò diutius durat. Interdum terra concutitur continue,  
& hic raro extenditur ultra 40 dies, interdum per vices, ut paululum  
à motu quiescat, mox iterum agitetur, qui interruptus terræmotus  
secundum Philosophum integrum biennium durare potest.

XLVI.

Signa instantis terræmotus à *Plinio lib. 2. cap. 81.* numerantur quin-  
que 1. est commotio seu agitatio maris nullis ventis spirantibus.  
Spiritus namq; jam tum resolvi incipiens mare movet; hoc, quia  
transitum denegat, in terram revertitur eamq; concutit, 2. Crepi-  
tus seu fragor, quia spiritus in terra agitatus, perinde ut ventus inte-  
stinis inclusus antequam egrediatur sonos varios edit, 3. quando  
volucres impavida sedent, quia hæ propter subtilem corporis con-  
stitutionem aeris turbationem facile præsentunt, 4. quando ho-  
ris vespertinis tenuis nubecula & velut linea cōspicitur summe tran-  
quillitatis, quæ ad Terræmotum requiritur, significatrix, 5. si aquæ  
in puteis turbentur, malumq; odorem spirent, quia spiritus venena-  
tus terræmotus causa aquas vicinas inficit.

XLVII.

Malo huic remedij loco opponere jubet *Plinius lib. 2. cap. 82.* qua-  
tuor 1. specus subterraneas, spiritum ad generationem terræmotus  
præconceptum intra se recipientes, quod in certis notatur oppidis,  
quæ minus quatuntur crebris ad eluviam cuniculis cavata, 2. lo-  
ca pendentia, in quibus spiritus non adeo firmum habet obstaculum,  
in quo repercutiatur ac deinde fortior assurgat, 3. Fornices ædifi-  
ciorum, angulos parietum, postesq; alterno pulsu renitentes, 4. pa-  
rietes, non ex saxis solidioribus sed terrenis lateribus factos, quia quo  
corpora rariora, eò minorem terræmotus vim sentiunt.

Opti-



XLVIII.


Optimum & certissimum remedium est, ut de peccatis admif-  
fis seriò doleamus, vitam emendemus Deoq; coadunitis votis sup-  
plicemus, ut is precibus nostris exoratus imminetia mala clemen-  
tissimè à nobis avertere velit: cui Trinuni & vero Deo sit laus, ho-  
nor & gloria in omnes seculorum æternitates. Amen.

Soli Deo gloria.

F I N I S.









Fc 1249. gn

ULB Halle

3

003 422 747




Bitte noch kein  
Sammelband verwenden

nach Ausleihe  
an Retro-Ecke  
OL

Zurück!

VD 17









XI.

AUSPICIIS SACROSANCTÆ  
ET INDIVIDUÆ TRINI-  
TATIS,  
Disputatio Physica  
*De*  
**TERRÆ MOTU,**

ex 2. Meteor. cap. 7 & 8.

*Cujus positiones*

In inclyta VVitebergensi Academia,

PRÆSIDE

M. ÆGIDIO STRAUCHIO,  
Facultatis Philosophicæ adjuncto,

*publicè tuebitur*

CHRISTOPHORUS SCHNEIDERUS  
Bitterfeldensis, Alumn. Elect. 3 7

*Ad diem 27. Febr. in Auditorio minori,  
horis matutinis.*

VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis per Johan. Gorman.

Anno M. DC. VIII.